

CLADES

Dantifcanorum , an-
no Domini M D LXXVII,
xvii Aprilis:

A

IOANNE LASICIO POLO-
nò descripta, & mendati's se-
cundò edita: in quæ causè belli
à serenissimo Rege Poloniæ
Stephano contra Gedanenses
suscepti, referuntur.

ACCESSIT

Satyra Ioachimi Bielscij, in quendam
maledicuum Dantifcanum.

FRANCOFVRTI,
Apud Andream Wechelum.

A. M D LXXVIII.



MF

222284

|
|

MAGNIFICO VIRO, DN.

IOANNI ZBOROWSKI, CASTEL-
lano Gnesnensi, Ducicopiarum Au-
lico serenissimi Regis Poloniae Ste-
phani, Odolanouiēsi, Kieskensi Vol-
piensiq; præfecto, Senatori integerri-
mo, salutem & felicitatem.

MITTO ad te, strenue im-
perator, hanc belli abste,
Angelis Dei iuvantibus,
confecti, descriptione: ut
gestatua, tuorumq; for-
itum militū, quæ iam lit-
teris mandari incipiunt,
nunquam esse moritura nisi cum hac vniuer-
sitate rerum, cognoscas: & eò maiorem inde
voluptatem percipias, ad maiora facta tanto
magis inflammeris. Quia in descriptione, tute
nosti quale meum fuerit studiū, ne quid falsi
esset. Si quæ præterij, ea supplere licet aliis.
Dolenda est sanè isthæc Christianorum cala-
mitas. at quid aliud magistratus ageret, im-
perata facere nolenib; et si non dū hic ma-
gistratus noster, suo usus esse gladio, quem à
a ij

Deo ad coērcendos malos accepit, videtur: id tantūm apparuit, quemadmodum pro eorum regum ille rex ac defensor pugnauerit: quū hostes non contenti eo, se ut intra mœnia continerent defenderentq;: foras etiam, Regem suū oppugnatū prodierint. Quorum cōsilia quē finem sortita sint, tu ipse vidisti, ego descripsi. Faxit igitur Deus, quandoquidem perduelles ne nunc quidem resipiscunt, ut de te, milite eodē tuo, & Rege nostro fortissimo, similia scribere liceat. Attamen magis illud à Deo precor, ut, qua Gedanēses ob peccata affecit cæcitate, eam post hāc cladem, animis illorum adimat: ne fortè, accensa magis Vncti Dei ira, funditus euertantur. quod ut Ioannes Dantiscus, ciuis illorum, supra annos X L prædixit: ita & ego mihi videre iam video. Vale, & pugna feliciter, decus amplissimæ Zborouiorum familiæ: hanc autem meam lucubratiunculam eodem animo, quo memiles, annis abhinc XIX, in Gallia complexus es, quæso te, accipe. Barcini, anno M D LXXVII, XX Mayj.

Tu æ dignitatis obseruantissimus

Ioannes Lasiczki,
CLADES



C L A D E S D A N-
tiscanorum, anno Christi M D
L X X V I I , X V I I
die Aprilis:
A Ioanne Lasicio descripta.



N T E Q V A M ad fune-
 sti Gedanensium suo
 cū Rege belli descri-
 ptionem accedam , il-
 lud mihi præfandum
 esse videtur, ipsosmet
 Gedanenses tanti sui
 mali causam fuisse. quod quidem , præ-
 ter hunc miserabilis pugnæ euentum,
 ab irato procul dubio Deo profectum:
 ex conditionibus quoque à clemēti Re-
 ge ipsis non semel oblatis apparet. Nam
 quum Rex Stephanus, quinto ut regna-
 a iiij

re cœpit, mense (qui erat anni superioris Septembris) firmandi regni sui causa, Cracouia Marienburgum venisset, opinatus tanto facilius, quanto Gedanum proprius, omne negotium transactumiri: factum necessarium est, Senatu qui cum Rege fuit consulto, ut Gedanenses, rebelles pronunciaretur: quod à Cossobucio secretario, Andrea Sborouio curiæ Marsalco, & ab aliis duabus Senatoribus ad ipsos missis officij admoniti, nihil de sua obstinatione remitterent: quodque ad causæ suæ dictiōnem, fide bona vocati, quamuis commodè potuerint, tamen non venerint. quæ nota insontibus gravis, nihil quidquam illorū animos permouit: nullum in illis seriò placandi Regis, contumacia offensi, studium apparuit. quin imò Regi legem imponentes, vt antea, ita post, liberari ab eo fide Cæsari Maximiliano, à paucis appellato Poloniæ Regi, præcipitanter data, volebant: triginta aliis conditionibus (quarū primæ, vt à quibusdam oneribus ab Augusto Rege ipsis impositis liberi essent,

& por-

& portorio ipsimet fruerentur) cum illo
paciscebantur: militem in Germania, in-
consulto Rege & regni Senatu, conscri-
bebant: portas interdiu, nullum habētes
hostem, claudebant: non contenti gene-
rali Regis iureiurando, legibus publicis
priuatisque suis singulari quoque (Regē
hac ratione infidi animi arguētes) caueri
postulabant: contumeliosis & ab omni
veritate alienis de Rege laudatissimo &
regno , officinæ Jacobi Rothi scriptis
Germaniam implebant: Grebino, terri-
torij sui capiti, in ipso Regis conspectu,
præsidia imponebant: urbem suam tam
milite mercenario, quām validis propu-
gnaculis , magis ac magis muniebant.
Quibus eorum facinoribus benignus
Rex irritatus , arcem Grebinensem 26
die Septembris occupat, præsidia cædit
& fugat, multos pagos quos Zulawa il-
lorum habuit, euastat. Perciti inopinatis
cladibus damnisque , impetrant quatri-
dui commeatum , vt vrbe tutò exire li-
ceret. Egressi, suburbium pagūmque di-
tionis Episcopi Wladislauiensis, Sena-

toris regni Poloniæ, igni comburunt: ac
paulo pòst cœnobium, iuris eiusdem an-
tistitis, intra sua mœnia, ac item aliud ex-
trà, quòd Oliuense vocatur, antiquis
principum Pomeraniæ sepulcris clarū,
euertūt: imbelles monachos, alios con-
trucidant, alios ludibrio habent, misere
tamen ad Regem cum certis postulatis
octo viros. ad quę eiusmodi responsum,
primis Octobris diebus, accipiūt. Rege
copiae suas ex agris illorum abducturo,
ipſi quoque suos milites dimitterēt, ius-
iurandum darent, exterorū iurare nolen-
tes vrbe mouerent, supplices veniam
peterent, confirmationem iurium habi-
turi, ad comitia regni venirent: tum de-
cretum ob contumaciam cōtra ipsos la-
tum, & quę vocarent grauamina iniuste
sibi imposta, suo modo tollerentur. Ac-
ceptis his conditionibus, non omnes il-
lis probatæ. oblatas deinde alias, eodem
modo aspernati sunt. Rursus impetrata
17 Nouembris, suis internunciis, Con-
stantino Ferbero & Georgio Rosenber-
gio, vltro citrōque commeandi hisce le-
gibus

gibus securitate , calendis quoque Decembris vltérius prorogata, vt pacata ciuitate, dimissóque milite , ad Regē venirent, delicti veniam petituri: rescribūt quædā à Regis voluntate aliena. & quoniam conditionibus non satisfecerunt, retentisunt à Rege legati. Aliud semper quām par erat, & Rex iustus volebat, respondentibus, humilibūsque verbis superba scribentibus : extracta res est ad comitia Toronensis, mensibus Octobri atque Nouembri, anni 1576, Gedanensium potissimè causa celebrata. In quibus Regia de ipsis sententia, ab omnibus prouinciis ordinibūsque comprobata est. deliquisse Gedanenses , & crimen contra Maiestatem commisisse, inuenti. Quò, hoc cum responso, illi iidem reuerterunt, quamuis Rex exercitum abducatur Sulawa suum, ipsos tamen non esse id facturos: nec ad commune concilium , quum ad illud non pertineant, venturos. Mirabantur nostri hæc ab illici scribi , quum anno 1569' Rex Augustus Lublini, cui sui Casimiri quarti,

de conciliis conuentibusque Prutenicis
illam legē, *Omnes causas notabiles, ad ter-
ras Prussiae pertinentes, cum communī consi-
liariorum earundem terrarum consilio tra-
ctabimus*: ita cōmodè interpretatus sit,
ut ostenderit, non esse certum locum
hīscē causis tractandis definitū: nec hinc
Senatū regni, sine quo nihil magni Rex
constituat, excludi: sed ex indiuiduo Po-
loniæ cum Prussia vinculo, anno 1454
opera eiusdem Regis factō, omnia com-
munia sequi: non tamen leges harū gen-
tium confundi: ideōque tali iurisiuran-
di formula, fidem suam Regibus & re-
gno Poloniæ, consules ciuitatum Prus-
siæ atque nobiles obstringere: *Ego N. iu-
ro quod serenissimo D. Sigismundo Regi Po-
loniæ, & suis successoribus Regibus Poloniæ,
eiisque regno, fidelis ero: eiisque Maiestatis
honorem, statum Regium, & commodum
Reipubl. Regni & terrarum Prussiae, pro vi-
rili procurabo: suāmque Maiestatem de o-
mnibus damnis quæ sciuero, certiorem faciā:
& ea manifestabo fideliter. sic me Deus ad-
iuet. Non destitere porrò tempus te-
rere*

rere variis effugiis , clām in Germania auxilia conquerentes , Rege prudētū futura prouidente , ac quæ iam acciderūt , prædicēte . Ad quem vbi Rosenbergius cum Henrico Lempka iurisconsulto , vltimum ipsorum , ad ea quæ 25 Ianuarij acceperūt , respōsum , multo aliud quām sperabatur , Bidgostiam attulissent : statutum est , post diu tētatam , tandem etiā contemptam mitis Regis patiētiam , debellare superbos , & vi cogere ad officiū ciuitatem , quæ potestati à Deo institutæ nollet subiici . Nā quid aliud , bonū regē facere oportuit ? Adducā huc quæ tū etiā illis gratificabatur . *Respoſum ſacrae Maiestatis Regiae , internunciis ciuitatis Regiae Gedanensis à Maiestate Regia adeorū ſupplicationem datum .* Sacra Regia Maiestas satis abundē omnia intellexit , quæ ciuitatis Gedanensis nomine ab ipsius Maiestate petebantur . Existimat autem , ad frequentes ciuitatis suæ Gedanensis ſupplicationes , satis supérque ſe vſum eſſe clementia , connuentia ſua regali : ita ut amplius vtēdum ſibi eſſe nō putet tam diu-

turna procrastinatione, rerumq; & negotiorum propositorum dilatione. Veritate in re iudicat dignitatem suam: expedireque rebus & consiliis suis censer, vt ista tractatio iam pridem instituta, nūc tandem finem suum sortiatur, modo & ratione infrà scriptis. In primis concedit Maiestas Regia ut pro concludēdis, vltimōque fine terminandis conditionibus, à Regia Maiestate ciuitati oblatis, isto modo quo Regia Maiestas conclusit ac determinauit, in spatio sex dierum Maiestati Regiæ satisfiat, pleneq; de his omnibus ciuitas Regiæ Maiestati respondeat. Hi verò dies per reliquos mēsis Ianuarij dies anni præsentis, ciuitati concessi esse censeantur. Primiò quidem, ducenta millia florenorum, numeri & monetæ Polonicalis, Regiæ Maiestati ciuitas persoluere debet. Prima quidem, in spatio vnius mensis: alia verò centum millia, prima die Martij, anni futuri 1578, Regiæ Maiestati reponet. Et nunc etiam oblationi Statuum Prussiæ innitendo, duplicem accisam ciuitas iuste

iustè & integrè contribuet, eāmque in
thesaurum Regiæ Maiestatis inferet,
prout id melius & utilius ipsius Maiestati
fore videbitur. de quibus omnibus
obligationem forma concepta quæ mit-
titur, faciat. Illa quæ merè regalia sunt,
quæ ex priuilegiis ciuitas Gedanensis
Regiæ Maiestati p̄dere debet: ea quo-
annis exoluantur. ista enim obligationi-
bus aut exemptionibus ullis subiici non
vult. De 4 tormentis bellicis, vñà cum
puluere globisque bene præparatis, ad
vsum belli præstādis, ciuitas Regiæ Ma-
iestatis volūtati satisfaciat: in eoque Re-
giæ Maiestati morem gerat. De pro-
rogatione temporis ad Palatium, aliaq;
ædificia regalia in ciuitate Gedanensi ex-
truenda, permittit Regia Maiestas ex
gratia clementiāque sua, tempus com-
petens ciuitati se concessuram esse. De
portorio maris, negotiū ad futurum re-
gni conuentum reiicit: ita tamen ut Re-
giæ Maiestatis scriba peculiaris ibi adsit,
iuxta priorem declarationem. Graua-
mina, quæ autoritatē sua citra cōsensum

Ordinum regni tollere potest, ea tolliti
reliqua ad cōuentum regni generalem
differt, ut de illis ex sententia Ordinum
decernatur. Quæ tamen Regiæ Maie-
statis de grauaminibus istis sententia sit,
cam peculiari priuilegio super his con-
scripto declarauit. Si verò vult, aut ma-
gis cupit ciuitas, nō abnuit Regia Maie-
stas vt omnes articuli, & omnia graua-
mina, ac omnes actus cōmisariales, in-
ter quos & portorij negotium est, ita vt
etiam scriba ad id non adhibeatur, ad fu-
turum regni conuentum reiiciātur. Re-
liqua tamen placationis capita, ac decla-
ratio Religionis conseruandæ, stare de-
bent loco & tempore suo. Confirmationem iurium & libertatum, iuxta for-
mam præscriptam quæ mittitur, Regia
Maiestas ciuitati dabit: omniāque priui-
legia, iuxta illius contenta, conseruabit,
eāmque authenticè nunc extradet. Si
fortè ciuitati placeat grauamina omnia
articulōsque (placationis conditionibus
& capitibus, tum etiam Religionis con-
seruatione, de quo specialibus litteris ca-
uebitur,

uebitur, exceptis) ad futurum regni con-
uētum reiicere: litteras reuersales, priori-
bus non absimiles, ciuitati dabit: qui-
bus promittet, autoritatem suam apud
Ordines regni interposituram esse, ut ci-
uitatis ratio habeatur, grauam ināque i-
psiis illegitimē irrogata discernantur &
abrogentur. Ante omnia ciuitas mili-
tem dimittat, Regiam Maiestatem for-
ma concepta deprecetur, conuentis ſe-
ſtare obliget: fidelitatis iuramētum præ-
ſtet: omniāque faciat quæ ad subiectio-
nis fidelitatīſque officiū ſpectant & per-
tinent. In quorum omniū fidem ſigillū
nostrū apprimi iuſſimus. Datum Bid-
gostiæ 25 Ianuarij, anno Christi 1577,
regni verò nostri primo. His subscri-
ptio manus Regiæ accessit. Dedit iisdē
die eodem priuilegium de grauamini-
bus, eodem quo dictum est modo, abro-
gandis, vſu Auguſtanæ Religionis con-
ſeruando, omnibus priuilegiis legitimē
impertratis confirmandis, déque cæteris
rebus, quadraginta capitibus compre-
hensis. Quæ omnia quo animo acce-

perint, mœnibus confisi suis, id ex iis li-
quet verbis quæ de Gedanensibus Re-
gia Maiestas Senatoribus absentibus vn-
decima Februarij Bidgostię perscripsit.
In primis, inquit, declarationem condi-
tionum à nobis oblatarū illis dedimus:
grauamina quæ ipsi soli poteramus ab-
rogare, dato priuilegio abrogauimus.
Commissionis negotium, ad futurum
regni conuentum reiecimus: vt de eo
ex omnium regni ordinum cōsensu de-
cernatur. Exemplum confirmationis iu-
rium, amplissima forma, citra omnium
exceptionem, illis dedimus: vt nihil su-
peresset quod eorum animos obstinatos
à præstanta fidelitate, ac relinquenda te-
meritate, retrahere posse videretur. His
ita cōstitutis, sex dierum spatiū datum
est, vt Senatui & cōmunitati ea omnia
videnda mitterentur. Expectati sunt ad
12 dies: quibus cunētationem hanc, cer-
tam pacem pariturā esse credebamus.
Ecce autē Rosenbergius cū syndico ad-
uenit: respōsum nobis attulit in quo nō
modò ea quæ pacta & responso nostro
conclusa

conclusa fuerant, inuersa sunt: verùm etiam multa alia adiecta, quæ non modò dignitatem nostram, verùm etiam iura publica perstringere videbātur. Etenim ducenta millia florenorum, quæ nos nō placationis, sed debitorum regno retētorū nomine, ab illis pacti eramus, quæ ipsi etiam tempore constituto soluere promiserant, in tempus postea longissimum & incertum transtulerunt. Contributionem accisæ abiecerunt: regalia nostra, quæ nobis à ciuitate singulis annis pendi solent, in dubium vocarunt: Commissionem abrogare autoritate, solummodo nostra, extra conuentum, voluerūt: cum regno nihil se habere commune. Item alia quæ non commemoramus, scripserunt. Quid saluo conductū durante fecerint, omnibus notum est: internunciisque pacis prætextu ablegatis, nihil minus quam pacem in ciuitate trætarunt: hanc propugnaculis & antimutalibus extructis munierūt: militem qui dimitti debuit, auxerūt: eruptiones multas fecerūt: ex villis & domibus no-

bilium prædas egerunt: villas incende-
tunt: euentus ut demonstrauerit, illos
nō pacificationis, sed ludificationis cau-
sam nobiscum egisse. Tacemus eorum
innumera in nos & Rempubl. commis-
sa delicta. Iam videmus eorum animos
obcæcatos, in perniciem suam ruere.
Sed nobis Deus testis est, quòd lenis &
clementis Principis officio hactenus vñi
sumus, atque curauimus ut illos ad sanā
rationique obsequentem mētem redu-
ceremus. Nihil profecerunt hortatio-
nes, legationes, persuasiones, cunctatio-
nes nostræ. Expectatum diu est, cū sum-
ma nostra & Reipubl. indignitate; nihil
est intermissum quod ad quietem pu-
blicam retinēdam pertineret. Quid igi-
tur aliud restat faciendum, quām ne no-
bis & Reipubl. desimus: atque vt sequa-
mur & suscipiamus ea consilia quæ ratio
suadet, & iustus dolor exprimit? Hæc
Rex Stephanus animi erga suos paterni.
Porrò quod responsum ad illorum po-
strema verba, eodem tempore à tribu-
nali Regiæ Maiestatis profectū sit, ope-
ræ pre-

te premium est his addere: ut cuius notū
sit, nihil Regem temerè, nihil iniquè, ni-
hil præcipitanter egisse. quocum, missis
in custodiam Lenciciensem Ferbero &
Rosembergio consulibus, post decretū
contra omnes latum, remissus Lempka
est. Prospiciebat animo sacra Regia Ma-
iestas, Dominus noster clementissimus,
hæc omnia quæ agerentur à Gedanensi-
bus impetrandi toties salui conductus
progationibus, non aliò spectasse quām
ut rem extraherent ad hoc ipsum tēpus,
quod ad detegenda apertè nefaria sua
consilia, magis idoneum arbitrabantur.
Cuitus illorum instituti cùm antè non
parua indicia hæc essent, quòd in tracta-
tionibus, à leuioribus postulatis orsi,
grauiora, quoties legatos ad sacram Re-
giam Maiestatem remitterent, indies
adherent. quibus tantum abest ut pro
patrato crimine omniū graviissimo, Re-
giæ Maiestati fatisfaceret: ut etiam iam
propè gloriando de crimine hoc admis-
so, magis magisque offenderent. quod
tamen sacra Regia Maiestas patienti ac

paterno animo ferebat, ac ea quæ ad iuria illorum & libertates augēdas spectarent, illis concedebat, quæ non rebelli- bus, verūm bene meritis de Principe suo subditis deberentur: vt hac sua clementia eos ad officium reuocare posset. nihil tamen, vt videt, eos hæc benignitas mouit: cùm ad superiora postulata iniqua, hæc posteriora impia ac' nefaria prorsus adiecerint, ita concepta vt iam meditatum scelus prorsus detegant, & tam Regiæ Maiestati quam Reipubl. communi regni Poloniæ, contra ius iuriandum maiorum suorum, Diuo Casimiro Regi, eiúsque successoribus ac regno datum, valedicant: nec se cum publicis regni consiliis ac ipso regno, in cuius titulum ac ius, vt maiores ipsorum iurarunt, concessissent, quidquam commune habere, impudenter & nefariè scribant. Iam verò sacra Maiestas Regia non solùm iniuitate & insolētia postulatorum in dies lædebatur: verūm etiam alio genere iniuriarum, non modò ciuitate non exonerata (iuxta formulam sal- ui con-

ui conductus , mittendorum ad Regiam
Maiestatem Oratorū dati) externo mi-
lite , verū etiam maioribus conductis
copiis , & nobilium ac aliorum subdito-
rum sacræ Regiæ Maiestatis vrbi vici-
norum pagis ac ædibus spoliatis , dire-
ptis, ac etiam exustis. Quamobrem, cùm
iam apertè constet , obfirmatas in scele-
re perduellium Gedanensium mentes ,
humanitate sacræ Regiæ Maiestatis ac
aliis lenioribus rationibus ad officium
reduci non posse: aliis grauioribus sacra
Regia Maiestas vti , pœnāsque meritas
de illis sumere necesse habet. Itaque de-
cretum suum , quo illos perduellionis
dānauit , iam iamque publicat & pro-
mulgat : omnem securitatem terra ma-
riique illis adimit : & tanquam impiis in
Principem & patriam hominibus , aqua
& igni interdicit .

Bello sic indicto , & cura illius Ioanni
Zborouio, vni ex ordine Senatorio, de-
mandata: posteaquam Gedanenses co-
gnouissent quām paucos milites Rex
Stephanus , Grebino capto , & Sulaua

depopulata, in agro ipsorum reliquisset: quasi nōdum satis tot malis damnisque, quæ illis rebellio attulit, afflitti: accersenda plura esse potius quam aliquid Regi concedendum, qui illis nihil nisi Batori esset: & si fortuna faueret, opprimendos esse paucos antè quam plures confluenter, animis obfirmatis statuerunt. Iam verò ab illis qui ad Regem vētitabant, voces illæ audiebantur, posse ipsos, si modo vellent, nullo negotio nostros obruere milites: rati idem esse, vel le quid & facere posse. Rei igitur huius auspicato aggrediundæ diu expectabat occasionem. Visum est Pascha percommodum, (septima Aprilis fuit) quum omnes ubiuis Christiani cultui diuino maximè incumbere solent. Confisi ergo viribus suis, & Ioannis Coloniensis, ducis sui magno præmio ex Germania euocati, experientiæ: adhèc omnibus necessariis ad euertenda diruendaque oppida bene instructi: hoc cōsilio urbem egrediūtur crepusculo vespertino, ut oppresso milite nostro, & Derßauia, (Czccuū

nos

nos vocamus) in quam se tempore hy-
berno ex agro receperat, expugnata: ad
Gnieum, Nouum, Staragardum, cæte-
ráque Regia oppida procederet vastan-
da. Verùm nōdum vrbe omnibus egres-
sis, ea tempestas exorta est, (Deo profa-
natæ augustæ diei, & Regis contemptus
vindice) iūque coeli tonantis sonitus, &
fulminis ictus auditi, vt vnius propugna-
culi pars auulsa, in fossam corrucrit: e-
quus ductoris, fulgore atque fragore at-
tonitus, succubuerit: ipse lessor à satelli-
tibus, quibus stipatus erat, suffultus: duo
equites è pōte fossæ imposito, in aquam
profundam delapsi sint, nec sine labore
alter extractus, alter aquis obrutus. Re-
ducto itaque in vrbum exercitu, idem
postera die, aliisque deinceps ab illis tē-
tatum. Sed hæc ipsorum aduersus sum-
mum Prussiæ magistratum suscepta cō-
silia, semper pluuiia impediabantur. Ea
tamen cæcitas hominum fuit, vt adeò a-
perta futuræ stragis om̄ina, non Deo, à
cœptis eos quæ oderit dehortati, sed sa-
garum vñeficii istribuerint: duāsque cā

ob causam in carcerem compegerint: suspicati, à nostris conductas procellam incantamentis excitasse. Armāt interim duas naues vectorias, totidēmque minores, dupli ci via regios milites inuasuri. Tandem 16 die mensis eiusdem, sole ad occasum vergente, aduerso flumine Vistula, sed ventis iuuantibus, Czeuum primūm oppugnatum contendunt. parte ab altera, tam equestres quām pedestres cohortes emittunt. de quorum lenito progressu Zborouius, insignis virtutis imperator, à velitibus Strussij, qui tū in excubiis erant, certior factus, & quos s̄æpè ad pugnam prouocasset, mœniaq; illorum penè attigisset, nunc primūm prodire miratus: procedit illis cum suis obuiam. locum pugnæ commodum ad pagum Rokitki prope aquas deligit, &, donec propriūs accederent, locaque aquosa præterirent, ordinatis aciebus expectat. Substitere Dantiscani ad villam Langnaw, quæ paulo plus vno miliari distat Derszauia, præmissa ad excubias ea exercitus sui manu, quæ maior fuit omnibus.

mnibus Zborouij copiis. Hic Zborouius, memor circumspecta celeritate nihil in bello melius esse: inuadendi securos lætósque consilium capit. Sed timēs oppido, ne interea ab hoste nauibus egresso occuparetur, néue bono mutato loco, incommodiore agenda res foret: prudenter illud mutat. nec tamen in oppidum reddit, veritus ciuium proditionem. nam cum Gedanensibus facere videbantur. Dispositis igitur quaquaersum vigilibus, & missō cum 60 Tartaris, qui nauibus imminerent, forti viro Andrea Carchowscio: noctem in equis cū suis transigit. Oriente sole, septima decima Aprilis die, hostis appropinquare visus, nostris nonnihil multitudine illius percussis. Conspergit & Coloniensis nostros, non absque stupore: quod pauci, quos ad sui conspectum fugituros putabant, tantis cum copiis venientem expectarent. Illis ergo ultra fluuiolum & lacū editiore loco constitutis, nostris ex adverso statibus, néue ab illa vi hominum magna circumdarentur, cauentibus: in-

cipit velitatio , duabus fermè horis ab
ortu solis. grauis nostris Cosakis (quos
ferentarios licet seu velites vocemus)
Germanus eques fuit , vndique armis
rectus. Quibus confestim misit impera-
tor in auxilium 20 Vngaros generosissi-
mos , & Stanislaum Iordanum manu
promptum iuuenem , cum 50 equitibus.
Descendebat in arenam ipse quoque
Coloniensis , veluti quidam suorum mo-
derator. Ciebatur ergo prelum magna
animorum alacritate. sed Germani ita
cursitare , vt impetus hastatorū vitarent ,
idque vnum facerent quò nostros illò
pertraherent vbi tormenta ænea collo-
cata erāt. Quod vbi animaduertit Zbo-
rouius , datis de vitando periculo præce-
ptis , miscuit hastatis equites è peditatu
sumptos , cum tormentis longioribus.
Defatigatis pugna & cursu utrisque , suc-
cessere integri. E nostris Zolkieuius cū
turma Ioannis Zamoiski , regni Polo-
niæ Vicecancellarij , non minùs quàm
priores alacer prodit. Vulnerati aliquot
Germani : unus equo detrusus , equus
alterius

alterius trāfixus corruit. iam etiam duo
à ferentariis anteuenientes currentibus
occisi fuerant, nostris saluis. Felix prelij
principium incendit spectatores ad au-
denda facinora maiora: equis nostrum,
ad clangorem tubarum tympanorumq;
sonum, adeò gestientibus, vt ab sessori-
bus ægrè tenerentur. Quum tali pugnæ
præludio detinētur nostri, Coloniensis
misso illo pergēdi ulteriùs ad oppidum
obsidendum consilio, postquam vidit
Zborouium pugnādi copiam haud im-
pigrè facturum: suis ut consuleret, sæpi-
mentum è fissis trabibus, quas secum, ut
alia omnia, vehebat, facit. nihilominus
tamen fermè ducētos, ad nostros in acie
distinendos, mittit: astutè omnia: ut cu-
ijs rei bellicæ scientia, celebris in Ger-
mania sit ob defensam Magdeburgum.
Igitur collocata intra illud munimentū
suorum bona parte, ipse interim cum
tormētis, & lectissimis quibusque viris,
ab altero montium latere, nostros à ter-
go aggressurus, ad lacum Libisseuiēsem
suis fatalem, iter intendit; ratus, vndique

comprehensos, nisi fugerent, sua in po-
testate facile futuros. vbi iussus propera-
re ceturio Rausauius, respōdisse fertur,
lente festinandum esse. videri enim sibi
Polonos ad certamen magis quām ad
fugam esse paratores. Erat autem ibi in
excubiis Temrukus, experte virtutis mi-
les, cum 50 velitibus. Qui, hostilem vim
imparem esse suis viribus sentiēs, matu-
rē sibi subueniri petiit. laborantibus mil-
sum euestigio subsidium. Zborouius,
astu hostis deprehenso, quid factō opus
foret, (fugere enim ignominiosum esse
ducebat) protinus init cum suis consi-
lium. Vrgente vndique periculo, non
longa consultationi mora data, placet il-
luc omnem equitum peditūmque glo-
bum conuertere, vbi ipsum caput ho-
stium foret. Quum verò nostri vidis-
sent, mutatum esse ab hostibus aptum
ad pugnam locum, (nam & alij, qui mu-
nitione continebantur, iisdem tramiti-
bus ducem sequebantur) adducti sunt
in spēm victoriæ. Proinde ex templo dis-
iiciunt pōticulum fluuiolo impositum,

nc ab

ne ab velitationi deditis , & intra s̄api-
menta latentibus, à tergo inuaderentur.
Itaque quum in illa potissimum parte,
quò properè tendebat Coloniensis, o-
mnis belli vis sita esse videretur : nec pe-
riculum ab nauibus, vi brachiorum vē-
to aduerso tardè tractis, oppido incum-
beret: Zborouius suis præcipit vt veli-
tationi finem imponerent. præterea ci-
uium magistrum dubiè fidei confirmat,
vt, si quæ vis hostilis ingrueret, saltem a-
liquot horas bona fide obsidionem sus-
tineret : cuius rei causa quinquaginta
pedites Polonos cum tormētis manua-
riis ei reliquisset, ipse breui, hoste Deo
adiuuante superato, cum pluribus affu-
turus. Tum admonitus ab Haidonum
ductoribus, quorum tres in acie ceci-
dere, vt prelium antè iniret quām hostis
suos ordines planè explicaret, tormenta
iam disposita, terra cōgesta muniret : fi-
cta oratione addit suis animos, spe iamiā
Vistulam traiicientis mille equitum pe-
ditūmque auxiliij. orat præterea omnes,
vt alij aliis offensas condonēt, pœnitен-

*Oratio Zbo
rouii ad mi
listes.*

tia placato Deo, suppliciter opem illius implorent, morti gloriam anteferat, hostes non numerent sed inuadant: neue eorum conspectu terreantur, qui breui tempore futuri sint in ipsorum potestate: quod superbi, maledici, rebelles, contumacésque sint: paucis antè mensibus ad Grebinum, Glowam, & alibi ab illis

1410. profligati: olim verò ab ipsorum auis atque proauis ad quinquaginta millia cæsi, capti, fugati: omnino absque bōbardis & munitionibus imbelles ac timidi. quod illico ipsimet experturi sint, modò pristinæ virtutis nominisque sui, à campestri prelio accepti, memores pugnēt viriliter pro Christiano magistratu: Deo freti, vltore rebellionis, quem ducē habeant propitium, quique paruis copiis, tam iusto quam hoc sit bello, ingentes superare soleat. His aliisque istiusmodi dictis, mirum in modum recreati sunt omnes, & ad impar prelum accensi. Dehinc Haidones, velut in rabiem versi, (erat à meridie hora fermè prima) ab dextro latere, equites à sinistro, in hostem,

stem, vbi tormenta fuere, irruunt: suos contra ipsum sclopos quinquageni exonerant: hastati sarissas, ferentarij vena-
bula in oppositos vibrant: alij arcus ma-
nu certa tendunt. Ceturia verò Strussij,
sublato clamore terrorem Germanis à
tergo incutit. Nascitur pro formidine
gaudium, multis ex aduersa parte ca-
dentibus. At ab hoste emissa è tormen-
tis iacula, per paucis nocuerunt, hastas
non paucas confregerunt: quippe quòd
equites incommodo loco cederent, pe-
dites autem, conspecto ardente puluere
tormentario, supini caderent, pro mor-
tuis ab hostibus habiti: rursusque sclopis
instructis, resurgerent. Damnosa hæc
Germanis fuit carnis resurrectio. Qui-
bus aliquantis per resistentibus, monet
Haidones moribūdus duxor ipsorum,
vt, si vincere vellent, abiectis sclopis vi-
ctoriam retardantibus, acinacibus, testi
capita securibus, rem cōminus agerent.
Obsequuti monitori, manus cum hoste
acriter conserunt, & adiuuātibus equi-
tibus, ordines conturbant, ferreorū ho-

minum poplites succidunt. Cæteri hastis & gladiis nunc pectora transuerberant, nunc capita petunt. Par gentis utriusque virtus & gloria: par hostiū diuersarum gentium debilitas & formido. Ad uolant & turmæ aliquot equitum, quæ ad succurrendum lassis, à prouido imperatore in proximo collocatae erant, ne quaquam aliis segniores. Paulo plus una hora incerto euētu dimicatum. Vrgentibus nostris ferro, equis, clamore, cadūt primores Germani, denique & alij, viri proceri ac lacertosí, tormētis, in quibus illis omnis spes victoriæ fuit, & priuati & frustrati. Dein magis ac magis instantibus nostris, terga vertunt reliqui, tanta festinatione, ac ita confertim, ut aliis alium ponte detruderet. Magna pars festinè arma exuentes (miseram spem salutis) ad proximum lacum tranandum conuersi. Nimirum ea vis metus est, ut homo à quo quis potius alio, quam ab homine irato absumi malit. Quare magnus numerus in lacu demersorum vi-sus. Pars suo cum glorioso duce, in lacū etiam

Etiā impulso, vertit se in fugā: nostris eos ad tertium à prelio miliare (Prusiecz ruri nomen) summa cōtentione persequētibus, & magnas illorū strages edentibus. Non pauci mōtes, alij sylvas Cassubicas & Pomeranicas, effuso cursu petierunt. Tunc illud euenisse visum, quod Moses malis prædixit: Efficiet (inquit) Iehoua ut corruas ante hostes tuos, & in quos una via exieris, eosdem septē viis fugias: quibus in rerū omniū pænuria seruietis. illi verò imponent ceruicibus vestrīs iugū ferreū, vsq; ad vestrū exitiū. Intacti illi, equis currus trahētibus cōscēsis, profugerūt, qui extremū agmen claudebat. Per multū è mōtibus & syluis à regio militē extracti, ad imperatorem trepidi aducebantur. Post victoriā aiunt Haidones Zbotouio, ab inclemētia illos auocanti, hisce verbis respondisse: Si nos hosti parceremus, ille viator eodem modo quo nos nūc (quæ dicētes, hos è captiuis detruncabant, illos mutilabant) in te sæuisset. Fugientes per sequentium tantus erat ardor, vt ad signū inclinata die rece-

ptui datū, non nisi ducentiequites, Bene
cruentati, ad ducē oppido opē laturi re-
dierint: alij pōst, cum præda sequuti. Vbi
Haidonū ductores orauit Zborouius,
vt suos ad alterū hostē adoriendū cōuo-
carēt. Qui, licet nō minūs quām equites
cædēdo defessi, noctisque præteritæ vi-
gilia atq; diei inedia fracti forent, tamen
simul omnes præeunte Zborouio, illos
qui è nauibus iā ad alteram ripā stātes, &
nuncios de victoria suorum opperiētes,
globos machinarum muraliū aduersus
oppidū incassum eiaculabātur, inuadere
aggrediq; cupiebāt. At hi casu suorū, ex
aduentu nostrorū, & globis tormētariis
contra se eiaculatis, cognito: domo, vbi
traiectus est, incensa, & omni quæ in ea
fuit cereuisia epota, supellectile direpta,
fugere incipiūt: paululūq; prouecti, (nā
vētus aduersabatur) se post insulā abdūt.
Interim Marieburgo, ad preces Zboro-
uij, nostris subsidio venit Stanislaus, fi-
lius Ioannis Kostkæ, prefecti Mariebur-
gēsis, cū suorū globo, & quatuor tormē-
tis telorū: cui persequēdi hostē ab illa ea-
dem

dē ripa, datū negotiū. quod bene cœptū,
non minori fortuna peregisset, ni & nox
obscura, & vētus secūdus, fugiētibus o-
pē tulisset. Quām autē salui hi quoq; do-
mū reuertent, parū liquet: illud certū,
multoties à nostris fuisse globis tormēta-
riis petitos. Qui cladi superfuerūt, capti
mille, præter illos quos vicina nobilitas
fugiētes cōprehēdit: aliquot ita opulēti,
vt vitā multis nūmūm aureūm millibus
redimere cupiāt. Vidisses decē, plus mi-
nus, Germanos ab vno vinciri vel Polo-
no vel Hungaro. vinxit & quædā mulier
duos: (tātus pauor pectora illorum occu-
parat) ac quodā è nostris vincula quærē-
te, protulit sua spōte è sinu captiuus: En,
inquit, habes: colliga manus, vitæ parce.
Occubuere in acie 4427 viri. id ex illis
qui iussu imperatoris occisos humabant,
cognitū. In fuga cēsorū, & aquis obruto-
rū, quū hēc scriberē, nōdū erat collectus
omnis numerus: non paruus, opinor, si
modò viētus verū fateri vellet. Tēdebat
iā tot cadauera, quorū lacus atq; viæ ple-
næ erant, terra obtuere: à feris & alitibus

multa depasta. Inuenti à vespillonibus,
seu duo seu tres, qui ad tertiam usque à pu-
gna diē, denudati uti omnes alij, morte
simulata, inter occisos latuerunt. rogati
verò cur non interea temporis fuga vite
cesserent, respoderunt, metu Haidu-
corū inclemētiū, qui sibi instare visi sem-
per essent, assurgere ausos non fuisse. Si-
gna pedestria quinq; adēpta, vnū eque-
stre: idq; erat maximū, & AVREA LIBER-
TAS, aureis litteris scriptū habebat. Scili-
cet Rex eam illis eripere voluit: qui se o-
mniū iura, publica & priuata, & quā quis
profiteretur religionē, incorruptè serua-
turū, semel ad arā sanctè promisit, idq;
adhuc præsttit. Tormenta ænea magna
septē: parua triginta, tribus vecta curti-
bus, ablata: currus 150 relicti: armaturæ
ter mille quingētæ, è spoliatis ad ducem
cōportatæ, & tormēta manuaria pmul-
ta: quibus iacturæ militū cōpēsatæ sunt.
Largitus est alia quoq; dona Zborouius
cuique fortissimo: adeò munificè, vt ipse
nihil planè è præda sibi reliquerit, conté-
tus sola gloria, quæ illi ex re bene gesta
nata

nata est: tametsi hāc etiam abs sese amo-
uēs, soli Deo, à quo profectā manifestè
videbat victoriā, & felicitati Regis sui,
triplici iā triūpho insigni, libēter tribuat.
Quis enim, nisi impius, hoc solius Dei
beneficio factū esse non fateretur, vt bis
mille viri, duodecem siue 14 millia ho-
stiū, profligarint, maioriq; ex parte cecid-
erint? Fassus est hoc & agnouit pi⁹ Rex
cūm illò loci veniens vbi pugna peracta
est, hæc proferret, *Nō nobis, Domine, nō no-
bis, sed nomini tuo da gloriā.* Regij verò mi-
lites (quod mirere) solùm duodesexa-
ginta occisi, cētū triginta vulnerati. hos
inter nōnulli, dū tormētis potirētur, fœ-
dē ambusti, quòd magister tormētorū,
viso extremo discrimine, dolio pulueris
nitrati ignē iniecerit: quo ipse vnā inter-
iit. Horū nomina, ni pigeret, possem re-
ferre: sed breuitatis habēda est ratio. E-
qui 38 cæsi, 65 saucij ac lēsi. Reperta apud
plerosq; omnes Germanos, varij generis
vincula, nostris ligādis parata, quæ ipso-
rūmet brachia senserūt. Ita illud verè di-
ctū à Solomone: Parari equū ad pugnæ

diem, sed Dei esse victoriā. Illud immānius, cōfēctas ab illis fuisse glādes venenatas, quæ sursum è tormētis breuiorib⁹ (quæ dūo fuerc) eiectę, mortē illis adferrēt, quo scūq; earū scintillæ attingerent, Fastū porrò illorū, & ante victoriā triūphū, illud arguebat, quū sui generis vicos præmonerēt, maturè migrarent aliò cū preciosa quaque supellectile, ne quid hostile à milite experirētur. quorū dictis quidā oppidani territi, sua Grudzadzū, alij aliò auehebāt. Quin etiā in ipso procinctu, alter præbibens alteri, hic tres, quinq; ille, alius decē Polonos vinc̄tos, vir vxori, miles amicæ, adducturum se promittebat, & pro vno capone pinguitres se captiuos daturū spondebat. Præter hæc, vrbe exituri, spectatores alloquebātur, eos ipsi quoq; comitatētur ad pugnā breuē quidē, sed lōgæ opimæque prædæ: (perrecturos se ultra Derszauiā opinati) vel saltē extra vrbē opperirētur reduces cū spoliis Polonicis atq; Vngaricis. (ita paucitas nostrorū despecta ab illis fuit) Stabat ergo populus in mōtib⁹,
belli

belli euētū expectās. Primū, cūq; certū, irati numinis ciuitati nūciū carnifex attulisse dicitur. Nō credita res diu, mutilis cursim carnificē sequētibus, fidē meruit, & posse abs Rege vinci supbos subiectos, ut antē Lanscorona, Grebinū: ita Derszauia declarauit. Constās fama est, paulo minūs sexcētis mulieribus Dantiscanis hoc preliū viduitatē, nō paucioribus reor orbitatē attulisse. Cūq; Coloniensis in vrbē anhelus refugisset, hisce illas cū eo verbis expostulasse: Redde nobis, scelestē, viros: redde filios, redde cognatos, quos tu nō eduxisti, sed seduxisti: viēturos, si intra portas se cōtinuissēt. Is Zborouio denūciasse fertur, se deintegro fortunā belli expertum, sumptis secū vrbis clauibus, si superetur, viētori tradēdis. Quod an credā ambigo, quum tāta sit ciuiū cōsternatio, tantus mulierū & natis orborū parentū dolor atq; plangor. Addere animos possunt Danica, ciuitatūq; maritimarū auxilia. Et Gedanē sc̄s quidē ita attriti sunt, die mēscq; eodē, sed anni alterius, quo Stephanus Bato-

rius, primū ex Hungaria Cracouiam
(quæ Regū sedes est) ingressus, regnū in-
iit. Afflicti autē, nō ob solā diu meditatā
rebellionē, (nō enim temerè vrbē suam
magno sumptu & studio, muris propu-
gnaculisq; aliquot annos firmabant) sed
etiā ppter tetra de bono Rege, regnoq;
ipsius, à quo Gedanū alitur, scriptis pdi-
ta mēdacia, & in ipsa vrbe iactata in Re-
gē cōuitia: quum Regi, qualisqualis est,
nefas sit maledicere: crimē, de altero fal-
sū dicere. Adeò infelix preliū, tātū terro-
rē pmultis incussit, vt clām cū iis quæ fa-
cile auferri possūt, emigrēt ex vrbc, (me-
tū illis aduētu in Prussiam fortunati ani-
mosiq; Regis, quotidie augēte) nec vltu-
ri ignominiam ad tympani, aucto stipē-
dio, triū dierū pulsū, dare nomē militiæ
alia lege quisquā voluerit q ne pugnatū
foras educatur. Ij missum ad se à Zboro-
vio cū litteris tubicinē, quib⁹ eos ad de-
ponēdā rebellionē, cuius pœnas luissēt,
inuitabat, interemerūt. Quibus Zboro-
uius iratus, p obscurū quēdam libertate
donatū captiuū, denūciari iussit, se 50 ex
illustrioribus captiuis, in ipsorū conspe-

Etū palis infixurū, ni sibi parricidas trāderent. Ad hæc illi, ab irato suis peccatis Deo se punitos esse cōfessi, tradituros sō homicidas rescripserūt, & ad colloquiū cum imperatore & Ioāne Kostka, Voiuoda Sendomiriēsi, se admitti petierūt.

Habuit Zborouius, Gnesnēsis Castellanus, non plures milites 2027. Prima e-questris centuria, ipsiusmet erat: altera, Andreæ Fierlei, Castellani Lublinensis: tertia, Ossolinij Krzessouiensis Præfēcti: quarta, Kafanouij: quinta, Nicolai Goſtōski: sexta, Adami Balinij: septima, Ze- brzydouij: octaua, Lesniouolscij: nona, Gnieuosij. Stanislai Iordani sō solūm e- quites fuere. Ex volūtariis, Ioannes Za- moyscius, Procācellari⁹, 37: Hieronym⁹ Goſtōskius, 10: Stanislaus Przyiēskius, 16: ex aulicis autē regiis, Ioann. Tēcinius Comes, Castellan⁹ Voynicēsis, sō equi- tes habuit. (sūt Castellani, secūdi à Rege ordinis Senatores: Voiuodæ, quos Pala- tinos vocamus, primi) Zlostouius 7, Iacobus Pilchouius totidē, Malicius 5, Bielawskius 4, Procopius Pieniazek, e- ques Maltēsis, 6. Hungari 40: quorū co-

gnomina ignota mihi sunt: nota virtus & fortitudo. Hi omnes, num. 1132, hastas prælōgas, scuta, breues sclopos, & gladios duplices gerebāt. Hussarorū nomen habet. Velites 215 fuerūt: quib⁹, præter acinaces, venabula, arcus, loricæ, arma sūt. 100, Strusij, Præfecti Bratislauiensis: 50, Tēruki: 30 Scythæ Regij: totidē Andreæ Comitis Gorkani, Castellani Miedzyrzecensis: 5, Andree Karchowskij. Hos appellat Kosakos: equites celerrimi. Regios Stanislaus Gizitzki etiā tū (opinor) ducebat, miles celeberrim⁹. Pedites verò Regij, generis Hungarici & Slavonici, stupendæ audaciæ atq; agilitatis, 600: Haiduci patrio sermone vocati: imperatoris, 30: Fierlei, 100: è q̄bus 50 oppidi defensio iniūcta erat. Tormēta campestria duo tātūm: his multò minora, Hakē Germanis dicta, 27. Cōtrà, Gedanēsiū cohortes pedestres sex fuerunt. Quæ erat imperatoris, viri cetera egregij, ni operā suā rebellibus nauasset, 600 viros cōpletebatur: centurionis Kleuneris 500, Lékæ 600, Esterreicheri 600, Rausawi 500, Vetsleinij 300. Equites mercenarij 400:

ciuiles totidē. At ciuiū numerus, omnibus quasi ad certā victoriā cupidē ruēti-
b⁹, cōfessione capriuorū, vel 8 vel 10 mil-
lia supabat. Vt enim diues opū, ita popu-
losa est ciuitas Gedanensis : cuius portu
null⁹ aliis in Oceano Germanico nobi-
lior: aqua p̄funda, muris & aggere præ-
alto, ita munita, vt inexpugnabilis esse vi-
deatur. Si igitur 8 tātū millia oppidano-
rū, ad excutiendū iugū Regiū egressorū
potuerimus, numerus omniū militū 12
millia, minus 100, efficit : si duobus plus,
(nā captiui variāt) 14 sunt millia. 12 igitur
viri vnū militē Regiū fugiebāt. Hæ fue-
rūt Gedanēsiū copiæ, sanè magnæ: q̄bus
freti, Magistratui, toti Prussiæ diuinitus
dato, resistere voluerunt: nolle se vñctū
Dei osculari, quē ille præ cæteris septem
cōpetitoribus delegit, ostenderūt. Regē
prudentem, piū, clemētem, quem alij o-
mnes reuerētur & amāt, soli infeliciter
oppugnauerunt: & (quod illi molestissi-
mum est) à ferendo Russis contra Tartaros
auxilio, qui eodem tempore in Rus-
siam irruerant, auocauerunt. cuius causa
vt c̄quior est, ita fortuna superior futura.



Ad lectorem Germanum.

Ne, queso, crebra Germanorū hac in clade mentione offendare, lector. aliter enim historia scribi non potuit. Gedanenses Germani sunt: miles quoque illorum, Germanus fuit, Scotis, Vasconibus, Danis (ut accepi) admisisti. Quos cum Deus viatores esse noluerit, cur me id descripsisse agrè fers? Non aliis enentus expectandus illis fuit, qui Apostolici præcepti de Rege honorando, & obedientia magistratui præstanda oblii, Regem Poloniae (ad quem, successoresque eius, annis abhinc 123, una cum ceteris Prussis, metu cruciferorum Teutonici ordinis, transferunt) non modo non honorauerūt, sed aperte oppugnauerunt. quam prospere docuit te historia: nullo (ita me Deus amet) Germanorum odio scripta: sed ut res gesta etiam ad posteros trāsmitteretur. Quod verò Gedanenses, nunc hostes, nunc rebelles appello: sequor in eo prudētissimi Regis mei, Senatusque, nobilitate approbante, sententiam. Et sane manifesta est rebellio, eductis copiis, cum Domino totius Prussiae bello contendere: qui, cum coronaretur, leges & priuilegia & qua omniū, se seruaturum, religiosa promissione testatus est, idemque post Torunij in comitiis confirmauit. Negant illi quidem verbis rebellionem esse: sed res ipsa non aliud declarat. Defensio hac dici non potest, cum Rex iuratus vim non faceret, sed damnatos ob contumaciam, viris, opibus, muris confisos, aduersum se ruentes reprimeret atque castigaret: à quo necessaria, non armis extorquenda, sed supplicia

Submissione, conditionumque satis tolerabilium, missa omni diffidentia, acceptione, impetrāda erāt. Ita tot mala, quæ postea sensere, euitassent, sua omnia, quibus exuti sunt, quæq; nunc confracta iacent atque vastata, salua habuissent. Quos, cūm hæc secundò, aequitatem Regiam omnibus ostensurus, in lucem ederem, illustrissimi Principes Germanie, per legatos, Regi offenso, certis cōditionibus, tanto studio reconciliabant, ut magna iam pacis deditioisque spes esse videretur. quorum conatus adiuuet Emmanuel noster, princeps & auctor pacis inter Deum & homines. Sed nec illud ignores, lector, Io. Colonensem, belli huius impulsore, pœnas iā 24 Augusti in prelio ad Laternā maritimā, unā cū suis multis, dedisse: ubi & nostri, (quæ fortuna belli est) effusa ex urbe turba, non pauci oppressi sunt. Vale, 12 Nonembr. quo die horrēdus come-
ta, maiorū prænuncius malorū, emicuit. a. 1577.

IOACHIMI BIELSEII

Satyra in quendam Dantiscanum, qui leuibus ac ineptis suis quibusdam Germanicis rhythmis multa nefaria de Rege & regno Poloniæ scribere, & per Germaniam vbique spar gere impudenter ausus est: anno Dn. 1577.

LVSTRIS tempus ad hoc altis iam panè duobus,
Omne mihi studium placidis incumbere Musis:
Nec quenquam satyra proscindere mens erat acris.
Aut mea Pasquilli desigere carmina saxo.
Primus eras, qui me candore nitere perenni
Non finis, inuitumq; in prelia pessime trudis.
Quisquis sis, ego te Dantiscum, latro, vocabo:

Qui sacrum morsu nomen violare canino
 Ausus es inuicti Regis, saumq; vocare,
 Quo non Christiadum toto Rex alter in orbe,
 Velpietate fuit, bello vel maior & armis.
 Dignus quis furca pedibus suspensus ab alta,
 Aut nigros pascas coruos, aut sedis acuto
 Carnificum ferro, canibus sis esc a cruentis:
 Ausus Teutonicas passim tam fœda per orbes
 Plurima de nostra mendacia spargere gente:
 Tanquam cum Turcis iam conspirauerit, & iam
 Christiadum multis fraudi sit Lachsa regnis.
 O execrandum scelus, exitioq; piandum,
 Dantisca plebis: qua nedum oblit a prioris
 Est fidei, & Regi proprio parere recusat:
 Verum non dubitat magnum quoque stringere nomen,
 Atque apud externas falsò traducere gentes.
 Tu tamen hos laudas, nec adhuc periuria demens
 Illorum celare potes, laudemq; merentur
 Hac aliquam gentis scelerata tristia facta.
 Certè Dantisca digni sunt laude rebelles:
 Certè Dantisca iuste fecere rebelles:
 Qui sacram rupere fidem, qui nescio quali
 Pro patria, falsa pro libertate suorum,
 Pro laribus patriis mortem perferre cruentam
 Haud veriti, Domino se se opposuere superbi?
 Vrbs quasi sola foret Prussis hac libera: cum sint
 Complures alia, queis nedum iura priorum
 Integras servauit regum pius ille: sed auxit
 Elbingis etiam nona, vicinisq; Torunis.
 O cacos homines! o indulgentia Diuum!
 Haccine Dis patiantur agi? nec fulmine missō
 Hos senos trudant in Tartara furua Gigantes?
 Qui stranere trucem Enceladum, & astroq; Typhoeo
 Pelion & Pindum, magna quoque molis Olympum,
 Atque Ossam excusserem manu. Quae barbaratellus,
 Qua ferat hos, & non subito confundat hiatu?
 Es Sol sit placidus tam iusto crimine Iesus,

Et non sacrilega currum diuertat ab orbe?
 Quamq; Thyestea crudelia ferula mensa
 Periuri esse putet delicta minora Gedani?
 Ad cenam & lauta nostros conuiuiam mensa
 Inuitas? aderunt illi non multa rogati.
 Vos modo Dantisci ad vestras venientibus ades
 Hospitibus vultum lati exhibeatis amicum.
 Quasq; dapes secum tulerint, gustare vicissim.
 Verum salsa videbuntur: lasumq; palatum
 Morderi multo frustra dicetis acero.
 Et choreas ducent, dederint ubi cornua latos
 Rauca sonos, quales choreas? Dantisci videbis,
 Cum magno pacem ne quicquam optaueris emptam.
 Nam præ laritia salient sic acriter illi,
 Ediderint ut quod saltus, tot vestras sub tendas
 Voluantur Stygius capita à ceruice reuulsa.
 Vinum velle ruis apponere dicas adustum
 Hospitibus recte: potus placet ille Polonis:
 Sed quoties bibitur, misere tractabitur hospes,
 Nec propria semper residebit tutus in æde,
 Custodes quos tu posuisti in limine primo.
 Nec te Sauromat & generosi, Cerbere, curant,
 Tergeminis nigram rapias ut dentibus offam,
 Et totidem tristem latratum faucibus edas.
 Inuenietur enim Alcides qui, Cerbere, fortis
 Comprehensum dextra supera te educat in auras.
 Musica qua resonet, queris, sub Vallibus imis?
 Musica (crede mihi) nostra est gratissima gentis,
 Quæ Martem accendit, mentesq; in prelia tollit.
 Aurea magnanimo donari munera Costœa
 Dicas ab irato, scriptor vesane, Gedano?
 Ferre uiam pridem (fanet illi pectore toto)
 Magnanimus (munus pro munere) Costœa parauit.
 Inuictum iactas ductorem. Causa fuisse
 Si melior, poterat melior dux esse: sed illum
 Numina iusta vetant aliquem sperare triumphum.
 Esto: dogma pium Christi profuetur, eundem
 Et nos amplexi sumus, atque huic fidimus sibi.

Vestibus incingi suades fulgentibus auro.
 Non opus est monitis. mos est gestare Polonis
 Intextas auro vestes, ostroq; superbas:
 Sed tamen his vitor minime potietur auarus:
 Aspera multa prius turpis patiatur oportet,
 Antea quam iratus apibus mel deuoret forsus.
 Balnea non curat, patiens est solis & astus
 Sarmata: vos ipsi hac struxistis balnea vobis.
 Nam neque nunc primum Dantisci fercula nobis
 Instruitis, qua vos tandem consumitis ipsi.
 Ferrea iam nostra fecistis vincula genti:
 Vos tamen hac collo tandem suspensa tulistis:
 Multaque spem prater damnosam superbia vestrans
 Corpora pallentem ferro demisit ad orcum:
 Sic lamentis, luctu, queruloq; vulnalu
 Caelum & inhumani resonaret regia Ditis,
 Tisiphoneq; fero quatiens vos torua flagello,
 Eumenides reliquas in opem defessa vocaret
 Sanguinea incinctas palla, & serpentibus atris.
 Non ergo es Veritus tam tristi ledere morfu,
 Iratumq; magis Regem gentemq; Polonam
 Reddere iam victa genti: quam summus ab alto
 Puniet elatam fastu Rex athere, iustis
 Puniet (haud dubium est) pænis. hic mœnia Troia
 Neptuni fabricata manu, hic ingentia quondam
 Pergama Thebanamq; urbem & Carthaginis arces
 Eruit: hic cineri dabit euertetq; superbam
 Urbem Dantisci vestrans, ni pectore ab imo
 Ipsa sumum doleat facinus, Regisq; Poloni
 Proiecta ante pedes, fateatur humillima culpam:
 Rex pius & clemens turbæ miserebitur ultra
 Insontis: tamen autores pro talibus ausis
 Supremos scelerum multabit funere digno.
 Et tu, quisquis eris, iustas dabis improbe penas,
 Accipiesq; tuis & quisimma premia scriptis
 Insulis: & erunt hac multis ciubus olim,
 Et tibi sacrilega exitio conuicta lingua.

F I N I S.

